

- an sequitur, vel non ex pluribus allegatis per *Barbosam de dictionibus*, dictione quando 307. num. 1., & de dictione cum adjecta verbo futuri temporis termino incerto, quod semper importet conditionem: *Tusch. littera C. concl. 583. num. 17.*, & 18., & post eum *Barbosa dictione 75. num. 4.*, l. dies incertus ff. de condit., & demonstr., *Bartol. in l. ita stipulatus 155. num. 41. ff. de verb. oblig.*
- 58 Ratio autem cur pendente conditione, non possit imputari negligentia exigere debent, quia pendente conditione iste, non potest agere, bonus *tex. in l. stipulatio ista §. inter incerta ibi* (si aliquid factum sit, vel cum aliquid factum sit) ff. de verb. oblig., nec ante diem nascitur obligatio. *Bartol. in l. ita stipulatus 115. num. 42. ff. de verb. oblig.*, negligens autem non est, qui impeditur agere, neque per eum statim tollatur impedimentum, ut dixi in prima parte huius tract. artic. (*Quis dicatur negligens.*)
- 59 Superest tamen videre, an recipiens litteras tenebatur denunciare scribenti se non posse consequi pecuniarum summam, & interim protestari ad effectum, ut scribens ipse, vel removeat impedimentum, vel sibi consulat, vel denunciare: ad notata per *Scacciam de Comerciis*, & *Cambiis §. 2. glos. 5. num. 246.*
- 60 Verum cum scribens litteras ipse aposuerit conditionem, nullo determinato tempore verificandam, nec adventus conditionis praesumatur, cum sit quid facti, l. qui heredi ff. de condit., & demonstrat., & late *Menoch. de praesumpt. 175. num. 3.*, & 4., & lib. 6. eod. tract. praesumpt. 14. per totum, non incumbat onus denunciandi eidem recipienti litteras, impedimentum extare, aut non advenisse conditionem, cum neque adventus diei incertae constituit ipsum receptorem litterarum in mora, sine interpellatione: ad tradita per *Scacciam de comerciis*, & *cambiis §. 1. q. 1. num. 384.*, Post *Bartol. in l. ita stipulatus num. 43.*, & 44., maxime ubi implementum conditionis potest esse ignotum; tum quia neque is ad quem missae fuerant litterae obligabatur ante conditionis eventum; adveniente autem con-

ditione sufficit, quod sit paratus solvere, tum quia neque hodie in facto probatum fuit exactam fuisse pecuniam ab illo negotiatore ad quem litterae dirigebantur, unde omnino negligentia excludebatur ex pluribus titulis.

- 61 Si contingat, quod plures sint Creditores, qui de aliquo fundo certent, & fundus a debitore distrahatur altero ex creditoribus nesciente, non ideo Creditor dicitur negligens, si non egit, quia sine tali scientia non potest dici neglexisse suam actionem, *Rota decis. 108. num. 6. p. 14.* & *decis. 425. num. 4. p. 18. recent.*, *Merlin. decis. 487. num. 18.*

- 62 Creditor in vim Salviani immixtus in possessione praedii, ut ex fructibus colligendis sibi satisfaciat, si negligat fructus percipere, vel pauciores colligat ex sua negligentia, puta quia terram non coluit, vites non potavit &c. sibi praedjudicat, quatenus imputabit in suum creditum, non solum fructus perceptos, sed etiam quos potuisset percipere, si usus fuisset debita diligentia ad allegata per *Statil. de Salviano interdicto Inspect. 4. c. 1. num. 151.*, similiter si fructus ex sua negligentia pereant in totum, vel in partem, vel fundus ex eadem negligentia fiat deterior, & minus fructuosus, semper in negligentis praedjudicium erit.

Quod habet locum, tum per dolum, culpam latam, aut levem, quae soli negligentibus debent nocere, non vero per culpam levissimam, quia Creditor non tenetur in eo casu, nisi quantum faceret diligens Pater familias, non autem diligentissimus Statil loco supra citato a num. 151. usque ad 159. Ubi quando dicatur esse in dolo in culpa lata, aut levi, aut levissima.

In omni tamen casu, qui opponit de negligentia, dolo, aut culpa Creditoris immixti, tenetur negligentia, dolum aut culpam probare, quia ut probavimus in prima parte, negligentia, dolum, aut culpa, cum sonent in delictum, non praesumuntur ad *tex. in l. cum de Indebito ff. de probat.*, *Rota in Romana Scriptoria Vener. 5. Junii 1609. Coram Marcomontio.*

## De Negligentia Custodis Carcerum, seu Commentariensis.

### S U M M A R I A.

- 1 **C**ommentariensis, qui custodit juxta morem regionis, non est negligens.
- 2 Erit vero negligens si utatur Subcustode Junioriore, inexperto, negligente.
- 3 Poena qua Commentariensis negligens, aut dolosus, aut culpabilis puniatur.
- 4 Si negligentia fuit nimia, puniatur Commentariensis poena qua erat puniendus carceratus, qui fugit.
- 5 Majori diligentia debet custodire reum, qui post fugam iterum captus carceribus mancipatus est.
- 6 Custos Carceris sub fide recipit Carceratos custodiendos.
- 7 Custos Carceris ex vi sui acceptati officii tenetur de levissima culpa.
- 8 Ideo pro levissima culpa puniatur, tam Civiliter, quam Criminaliter.
- 9 Si unus ex pluribus Custodibus, vel consentiat
- 10 Si Carceratus e mentito habitu fugiat, considerabit Judex, an deceptio fuit verisimilis, & Custos excusabitur; Secus si non fuisset verisimilis.
- 11 Ex speciali ratione praesumitur in dubio negligentia in Commentariense, & num. 12.
- 12 Repellitur ista praesumptio probando, semper per antea fuisse diligentissimum.
- 13 Si Carceratus fugit nulla facta fractione, si Judicis non paruit mandatis, si dum fuerit ad spectacula, vel ad Meretricem accesserit, Custos praesumitur negligens, & puniendus est.
- 14 De poena Commentariensis negligentis &c. remissive.

## A R T I C U L U S X I.

### De Negligentia Custodis Carcerum, seu Commentariensis.

- A**cturus de Negligentia Commentariensis, primo loco notandum est, illum non dici negligentem, qui custodit juxta morem Regionis, & Consuetudinem Civitatis ad allegata per *Paridem de Sindicatu in Vers. an si plures num. 13. 14. 15.*, ubi, quod si Carcerarius de nocte accedit ad Domum propriam ad cenandum, vel dormiendum juxta consuetudinem, non ei imputabitur fuga reorum, *tex. celebris in hac materia, in l. ad Commentariensem C. de custodia reorum*, ubi, quod si Carceratus fracto Carcere ob negligentiam Substituti deputati, ab ipso Commentariense effugerit, ipse Commentariensis non satisfaciat exhibendo hominem Substitutum, sed ipse subibit poenas, quas erat subiturus Carceratus, qui fugit, nisi legitima excusatione tueatur, *Farinac. q. 31. num. 49. 50. 51.*, nisi de mandato Judicis hunc determinatum hominem substituisset num. 57.
- 2 Casum figurat glos. in *Vers. qui fugerit*, si Commentariensis utatur ministro junioriore, inexperto, negligente, prout dicitur, in *l. non est facile tyroni custodia credenda ff. de custodia*, & *exhibitione reorum*, ubi, quod si negligentia commiserint pro modo culpae, vel castigantur, vel militiam, id est officium, mutant.
- 3 Et quia fuga reorum, vel si mortem sibi inferant, potest evenire, vel dolo, vel culpa, vel negligentia Commentariensis, in *l. Carceri Praepositus ff. de Custodia reorum*. Dicitur, quod si dolo, vel culpa fugiat puniendus sit Custos officio Judicis, si vero nescit,

nescit, ob negligentiam, removendus est ab officio, ubi *glos. in V. Puniendus est*, notat, quod Commentariensi negligenti non paritur, mitius tamen punitur.

- 4 Quod intelligit *Farinacius de Carceribus, & Carceratis q. 31. num. 4.*, & *num. 7. 9. 10. num. 125.*, quod si negligentia Custodis fuit nimia; quæ æquiparetur dolo, vel culpæ, tunc Custos punitur ea pœna qua erat puniendus Carceratus, qui fugit, secus si negligentia fuit levis, quia tunc pœna arbitrio Judicis infligitur.
- 5 Et quia potest contingere, quod Carceratus post fugam captus, iterum Carceri mancipetur, tunc major diligentia in Custode requiritur, itaut si iterum fugiat graviore pœna Custos subiiciatur, ad tradita *per Menoch. de arbitr. Judicium casu 303. num. 10.*, *Paris de Syndicatu in V. an potestas num. 2.*, ubi & *num. 1.*, quod majori diligentia debeat custodiri de proximo condemnandus, quam de proximo relaxandus.
- 6 Hanc autem reddit rationem, *Farinac. dicta q. 31. num. 13.*, quia Custos Carceris sub fide recipit Carceratos Judici sistendos ad omne mandatum, idè ex nimia negligentia, quæ culpa æquiparatur, *Paris de Syndicatu in V. an si plures num. 5. 6.*, poterit etiam corporaliter puniri.
- 7 Disputat *Paris de Puteo in V. An si plures sub num. xi.*, & post eum *Farinac. d. q. 31. num. 14.*, de qua culpa, & negligentia teneatur Custos, idè an non solum de lata, & levi, sed etiam de levissima, & post plura resolvitur, etiam criminaliter posse puniri de levissima, contra Juris regulas, quia hoc est speciale in Carcerario, tum quia pro tali custodia mercedem recipit, & acceptando officium Custodis censetur se obligare juxta naturam officii publici, & ministerii; tum quia ejus fidei Custodia committitur, & sic quodcumque periculum, etiam ex levissima culpa contingens ei imputatur.
- 8 Deindè certum est, quod pro levissima culpa civiliter punitur Custos idè, quod condemnatur ad damna, & interesse parti, cujus interest ne Carceratus aufugiat, sed etiam posse puniri Criminaliter, pœna tamen levissima, ut privatione officii ab illa custodia, in qua ex levissima culpa fuit negligens, vel alia leviori Judicis arbitrio, pu-

ta ut suspendatur ab officio per aliquot dies ex ponderatis *per Farinac. d. q. 31. num. 15. 16. 17.*

- 9 Contingat autem, quod plures sint Custodes, vel Ministri Commentariensis, & Carceratus cum altero ex eis fugiat, an imputetur negligentia alterius, ut puniatur, & resolvitur, *in l. non est facile ff. de Custod. reorum*, quod alteri venia datur, quia non præsumitur ex ejus negligentia, sed ex malitia, fraude, & prodicione alterius fugisse.
- 10 Hinc quærit *Paris de Puteo in dicto V. an si plures sub num. 18.*, an negligentia Custodis imputetur, si Carceratus ementito habitu aufugerit, e.g. Uxor permittitur ingredi Carcerem ad alimenta paranda Marito, vel ad solatium, Maritus autem veste fœminea indutus decepto Custode aufugit, tunc ad dignoscendum, an Custos fuerit negligens considerabit Judex, an deceptio fuerit verissimilis ex similitudine, vel dissimilitudine Uxoris, & Mariti, statura, colore, ut diligens, & prudens facile posset decipi.
- 11 An in dubio in Custode præsumatur negligentia proponit, *glos. in l. fin. in V. Probandum est ff. de Cust. reorum*, ratio dubitandi est *reg. à nobis posita parte prima*, quod negligentia non præsumitur, quia cum sonet in delictum, venit probanda ab asserente.
- 12 Verùm posuimus specialem fallentiam in Custode Carceris ad allegata *per Paridem de Puteo de Syndicatu in V. an si plures num. 6. ad finem; Farinac. prax. q. 31. num. 18. 19. 20.*, *glos. supra allegata*, præsumi scilicet negligentiam in Custode Carceris, qui volens se redimere à pœna negligentia, teneatur probare evenisse casum inopinatum sine sua culpa, ita si contingat, quem ex detentis in Carcere mortuum reperiri, teneatur Custos probare id evenisse sine sua culpa, *Farinac. d. num. 20. & num. 44.*
- 13 Ad excludendam autem præsumptionem negligentia prodesset probare semper fuisse diligentem, rationem reddit, *Farinac. sup. num. 21.*, quia ex solita, & consueta diligentia oritur præsumptio satis efficax exclusiva alterius præsumptionis, tamquam minus efficax, *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 64. num. 46. per tex. in l. Divus ff. de Integrum restit.*, quia illa præsumptio potentior,

tentior, & efficacior est quæ Juri communi adhæret, illa verò infirmior, quæ Juri particulari, ad allegata *per Menoch. de arbitr. Jud. casu 472. num. 11.*, & *de præsumpt. lib. 1. q. 29. num. 6.*, ubi *num. 11.*, quod præsumptio quæ militat ad favorem Rei firmior est illa, quæ facit contra Reum; idè in dubio *reg. stat. contra actorem pro Reo, reg. Cum sunt xi. de reg. Jur. in 6.*

- 14 Quoad hanc præsumptionem plures limitationes, notat *Farinac. dicta q. 31. à num. 33.*, & *seqq.* apud eum videndas; Ubi si Carceratus nulla facta effractione effugiat, præsumatur per ostium ex negligentia Custodis effugisse, & *num. 34. 35.* Si juxta præceptum Judicis, non tenuit Reum in

Compedibus, negligentia ejusdem Custodis effugisse præsumitur, & *num. 40.* Si Carceratus fugiat, dum Custos, vel ad Spectacula, vel ad Meretricem accessit, magna negligentia culpatur, sicuti in qualibet alia absentia non necessaria, quia semper tenetur vigilare ad Custodiam, quia compertum est, quod Carceratus, sicut Avis semper fugam à Custodia quærit, & meditatur.

- 15 De pœna autem debita Custodi pro culpa negligentia, agit *Farinac. supra à num. 64.*, & *seqq.* Ubi quid si Reus post fugam spontè, vel iterum captus reducatur ad Carcerem &c. apud eundem videre poteris.

## De Negligentia Custodum Vinearum, Hortorum, Agrorum.

### S U M M A R I A.

- 1 Custos tenetur ad diligentem Custodiam ex quasi contractu, & tenetur de dolo, culpa lata, & levi, non verò levissima.
- 2 Fenerator tenetur de culpa levi in Custodia pignorum.
- 3 Custos tenetur de damno ab aliis illato propter suam negligentiam.
- 4 Custos tenebitur de levissima culpa, si natura rei id importet, & ipse profiteatur se in arte peritum.
- 5 Tenebitur de levissima, si pacto expresso id conveniat, & se obliget.
- 6 Item si profiteatur se ceteris peritorem.
- 7 Pactum, ut Custos teneatur in aliquo ultra consuetum contractus, facit ut teneatur, etiam de levissima.
- 8 Tenetur de levissima, si res custodienda de sui natura requirit diligentissimam Custodiam.
- 9 Teneatur de levissima, si esset in mora restituendi rem sibi in Custodiam traditam.
- 10 De levissima teneatur, qui recepit rem in gratiam sui tantum, ut in Commodatario.
- 11 Ita & qui suscepisset in se Casus fortuitos.
- 12 Custos, non denuntians damnificantes Vineas, aut violantes gabellam, tenetur Domino ad damna, non vero ad penam.
- 13 Præsumitur negligens, si damna sequantur.
- 14 Quod limita, si ageretur favore tertii, tunc non præsumitur.
- 15 Si res Custodita perit, Custos debet probare se adhibuisse omnem diligentiam.
- 16 Qui substituit in Custodia personam alioquin diligentem, & probatam, quæ postea fiat negligens, substituens non tenetur.
- 17 Custos Carcerum ex quibus argumentis præsumatur negligens; remissivè ad *Farinac.*
- 18 Absentia Custodis facit præsumere eum negligentem, ut teneatur de rei interitu, sive de fuga reorum.
- 19 Custos fornacis tenetur ad damna, quæ fecit ignis, dum dormiret.
- 20 Item Custos vineæ tenetur, si eo dormiente, alter immitteret ignem, & vastaret sata.
- 21 An, si Custos Vineæ permittat externos Vuas comedere, ligna transportare, teneatur.
- 22 Afferuntur loca Scripturarum, & eorum intelligentia investigatur usque ad *num. 40.*
- 41 Conveniens est, ut Pauperes participent moderate de fructibus prædiorum divitum.
- 42 Expenditur Statutum Ferrarie lib. 4. rub. 51. prohibente, & puniente asportantes Vuas, Sacco, Cista, Corbe, nec loquitur de comedente.
- 43 Custos non peccat permittendo pauperi extreme indigenti asportare ligna ex alieno fundo.
- 44 Qualitèr possit Custos cognoscere pauperem ligna asportantem extreme indigentem.
- 45 Custos poterit tolerare pauperem asportantem ligna

- ligna in gravi necessitate, si grave non affe-  
ra incommodum diviti.*
- 46 *Ita potest permittere pauperem comedere, Vuas,  
Fabas, in extrema, vel valde gravi neces-  
sitate.*
- 47 *Custos potest permittere, ut pauperes colligant  
spicas decedentes de manibus messorum.*

- 48 *Limita nisi Dominus aliquos certos pauperes  
elegisset, quibus concederet colligere spicas.*
- 49 *Ex affectu avaritiæ prohibendo pauperes col-  
ligere spicas, peccat, tam Dominus quam  
Custos.*
- 50 *Custos non potest permittere Vineas devastari,  
Vuas foras efferi.*

## ARTICULUS XII.

De Negligentia Custodum Vinearum,  
Hortorum, Agrorum.

- C**ustos acceptando munus custo-  
diendi, Vineam, Domum, Ani-  
malia, vel rem cuiusvis generis,  
recepta mercede, quasi con-  
trahit, & sic tenetur ex quasi  
contractu, regula autem constituitur, quia  
tunc Custos tenetur de dolo, culpa lata,  
& levi, non autem levissima, *l. si ut certo  
§. nunc videndum ff. commodati, l. Contractus  
23. ff. de reg. Jur., Azor. instit. moral. p. 3.  
lib. 4. c. 6., latè Cagnol. in dicta l. Contractus  
num. 11. & seqq.;* Quamquam de præposito  
alicui negotio cum lucro, & mercede  
teneri, etiam de levissima, *Senserit Rota  
Genue decis. 172. num. 1., & de Custode  
Carceris ex allegatis per Mascard. de probat.  
concl. 470. num. 3.,* licet criminaliter de le-  
vissima, regulariter nemo punitur, ut ibi,  
& numeris seqq. pluribus allegatis ostendit  
de quo infra de Carcerario Custode reorum,  
at si custodia esset tantum in gratiam Do-  
mini, nec Custos quidquam reportaret uti-  
litas, aut commodi, teneretur tantum  
de dolo, & lata culpa *dicto §. nunc viden-  
dum, & latè glos. in c. 1. V. de Levissima de  
commodato.*
- 2 Hinc est, quod Fænerator, si fuit negli-  
gens in custodia pignorum, puta in excu-  
tiendo res pignoras à tinea, vel defen-  
dendo à Stilicidio, & huiusmodi, tenetur  
de culpa levi, *Baldus in l. quæ fortuitis C.  
de pignor. act., Cagnol. supra num. 44.*
- 3 Amplia, quod Custos, qui male in Cu-  
stodia versatur, tenetur etiam de damno  
ab aliis dato: *Nata. conf. 79. num. 4., Lu-  
dovif. decis. 146. num. 14., & in hoc casu  
negligentia, & fraus æquiparantur ad no-*

- tata per glos. in c. ea que de officio Archid.
- 4 Quod autem diximus, Custodem non ten-  
neri de culpa levissima. Fallit primò cum  
custodia committitur perito in arte, aut ei,  
qui pro tali se gessit, & res sit de facili fran-  
gibilis, ut vasa vitrea, christalina &c. tunc  
custos tenebitur, non solum de culpa lata,  
& levi, sed etiam levissima, quia natura  
rei de facili frangibilis, & professio peritiæ  
in Custode ad hanc culpam extendunt ob-  
ligationem Custodis, *l. si merces §. qui colum-  
nam, ubi glos. in verbo diligentissimus ff. locati,  
Alciat. in l. magna negligentia num. 14. ff. de  
verbor. signific., Cagnol. supra num. 45.,* ubi  
latè examinat Sententiam dicentium, quod  
ut Custos teneatur de levissima, sufficiat,  
quod res natura sua sit faciliè frangibilis,  
non autem hoc sufficere dicit, sed ulterius  
requiri, ut Custos profiteatur se in arte pe-  
ritum, & certo rationi valde congruit, nam  
Dominus facilius fidet res custodiendas pe-  
rito in arte, quam non perito, quia ab eo  
majorem sperat, & expectat diligentiam,  
quam à non perito, undè majori diligen-  
tia obligatus tenebitur de levissima, *Caroc.  
de locato p. 4. tit. de culpa q. 2.,* ubi latè plu-  
ra assert pro intelligentia *§. qui Columnam,*  
licet altera Sententia bene locum habeat  
in casu, de quo infra fallentia quinta, &  
bene faciunt scripta per *Angelum de Pariglis  
in suo tract. Societatum p. 2. num. 17. in vol.  
1. tract.*

Hinc sequitur, quod artifex, qui recepit  
gemam expoliendam vestem mundandam  
&c. teneatur etiam de culpa levissima, non  
tantum pro se, sed etiam pro suis famu-  
lis, & operariis, & sic pro levissima negli-  
gentia

- gentia tenetur, *Sylvester V. Custos num. 2. per  
d. §. qui Columnam.*
- 5 Fallit secundo, si Custos pacto expresso  
se obligat ad culpam levissimam promit-  
tendo majorem diligentiam, quam ceteri,  
vel ut præeligatur in concursu, vel ut ma-  
jorem mercedem consequatur, tunc tene-  
tur de levissima negligentia, *Lessius de Just.  
& Jure lib. 2. c. 7. dub. 7. num. 32.,* quia  
contractus ex conventionem legem accipiunt,  
*Cagnol. in l. Contractus num. 17. ff. de reg. Jur.*
- 6 Fallit tertio in eo, qui se profitetur cæ-  
teris peritiorem in rei Custodia, puta equi,  
quia tali professione implicite promittere  
censetur majorem diligentiam, & sic tene-  
tur de levissima, *Sylvester V. Culpa. q. 4.*
- 7 Fallit quarto, quando quis ex aliquo con-  
tractu tenetur ad Custodiam, non solum  
de dolo, & culpa lata, sed etiam de culpa  
levi, ut in locato: *Caroc. de locato p. 4. tit.  
de culpa q. 1.,* ut cum locator, aut condu-  
ctor tenetur rem custodire, aliàs tenetur  
de culpa levi, quia contractus est in gra-  
tiam utriusque Contrahentis, *l. Si ut certo  
§. nunc videndum ff. commodati;* Si verò lo-  
cator, aut conductor ulterius commodum,  
vel utilitatem aliquam recipiat pro custo-  
dia cum hoc pacto, ut debeat operari ali-  
quid ultra, facit teneri de levissima, quo-  
modo intelliguntur, *tex. in l. qui mercedem,  
& l. Dominus ff. locati, Caroc. de locato p. 4.  
tit. de Casibus q. 12. num. 52., & p. 4. tit. de  
culpa q. 2. num. 4., Sylvester V. Custos nu. 2.,  
Valer. de differentiis utriusque fori V. Damni  
differ. 1. num. 5. in fine.*
- 8 Fallit quinto, in casu quo res tradita cu-  
stodienda de sui natura requireret diligen-  
tissimam curam, quia tunc quis acceptan-  
do custodiam censetur secundum rei exi-  
gentiam promittere diligentissimam Custo-  
diam, & sic teneretur de levissima, *dicta  
l. si merces §. qui Columnam ff. locati, Caroc.  
de locato p. 4. tit. de culpa q. 2. num. 11.*
- 9 Fallit sexto, & tenetur de levissima,  
quando esset in mora restituendi, puta Cre-  
ditor receptum pignus, custodire tenetur,  
& si contingat, quod ipse Creditor contra-  
hat moram in restituendo, & hoc interim  
contingat casus fortuitus ex levissima cul-  
pa Creditoris custodientis, ipse de hac le-  
vissima negligentia teneretur, ut post *Gait.  
de credito c. 4. num. 1179., & seqq.,* notat,  
*Merlin. de pignor., & hypoth. p. 4. q. 131. n. 1.*
- 10 Fallit septimo in eo, qui recepit rem Cu-  
stodiendam in gratia sui tantum, tunc etiã  
tenetur de levissima, hinc infertur, quod  
dictum est de Commodatario, qui cum re-  
ceperit rem commodatam gratia sui tan-  
tum, tenetur rem commodatam ita custo-  
dire, ut non solum de lata, & levi culpa,  
sed etiam levissima teneatur, ut est *tex.  
expressus in c. 1. de Commodato, ubi latè,  
glos. in V. de levissima, l. in rebus, l. si ut cer-  
to ff. commodati,* quod intellige in foro fori;  
nam in foro conscientie ex levissima culpa  
non obligatur, ut pluries supra notavi, &  
præter ibi allegatos addo, *Cagnol. in l. Con-  
tractus num. 31. ff. de reg. Jur.,* licet in con-  
trarium, alleget *Barbosa in dicto c. nuiconu.  
5. de Commodato.*
- 11 Fallit octavo, si Custos casum fortuitum  
in se suscepisset, tunc etiam de levissima  
culpa tenetur, dum vult teneri in casu for-  
tuito, absque ulla sua culpa contingente,  
ided utrumque casum parificat, *tex. in c. 1.  
de Commodato, & notant, Bald., Paul. de  
Castro, & alii in l. 1. C. Commodati,* quia  
contractus ex conventionem legem accipiunt,  
*tex. in l. 1. §. Si convenerit ff. depositi, reg.  
Contractus 85. de reg. Jur. in 6.*
- 12 Quærent D.D., an Custodes, qui ex of-  
fitio tenentur, negligentes denunciare vio-  
latores puta Gabellæ, Datii, vel vastan-  
tes Vineam Sylvam &c. teneantur ipsi ea  
reficere damna, quæ dominus patitur, &  
ad pœnam, ad quam erant illi violatores  
condemnandi, si fuissent per Custodes de-  
nuntiati, puta res cecidissent in Commis-  
sum, vel juxta legis dispositionem vena-  
rant condemnandi, ut in centum aureis,  
an Custodes negligentes custodire, & de-  
nunciare ad hanc pœnam Dominis tenean-  
tur, affirmant ex *Theologis Salon., Sayr.,  
Villalob., Vasquez. 1. 2. d. 175. c. 1. num. 9.  
& seqq., & alii quos citat, & sequitur,  
Valerius de differentiis utriusque fori, V. resti-  
tutio differen. 39., Azor. par. 3. lib. 4. c. 16.  
q. 5. Vers. Secundo dicendum,* Sed mihi vi-  
detur verior, quod non ad pœnam, sed ad  
refectionem damnorum tantum tenean-  
tur, eo quia peccant graviter contra Justi-  
tiam, non denunciando, prout teneban-  
tur ex vi contractus, vel quasi Contractus,  
cum ad id sint mercede conducti; nempe  
ut eorum opera evitent damna violantium  
&c. Sicque cum agatur de damno vitando  
obliga-